

Statuam fœmineam vidimus Romæ, in Macello Coruorum. Sed hoc loco nescio rideam magis, an desyderem in eis iudicium, qui ex quibuscunq; antiquis fœmineis statuis quas tulisse onus cognouerint, existimant Vitruuianarum, idest Græcarum Caryatidum figuram posse conici. Quasi vero vna & simplex fuerit muliebrium in columnis statuarum ratio, ac non potius, ad Græcorum imitationem, licuerit Romanis, & cæteris gentibus, repræsentare earum rerum imagines, quas vellent posteris memoriæ tradi. Certe ei quam vidisse retulimus, capitulum erat Doricum, vt capite tantum sustineret. Athenæus autē lib. Dipnosophiston. vi. ex Lynceo Samio refert Eucratem Corydon bibentem apud quendam cuius domus esset marcida, dixisse, ibi cœnantem oportere sinistram manum supponere instar Caryatidum. Ceu Cariatides sinistra manu sustinere tectum siue epistylum fingerentur, dextra autem aliud quippiam referre. Eius verba sunt, Εὐκράτης ὁ κόρυδος ἐπὶ τῶν παρὰ τὴν σαρκῶς οὐσῆς τῆς οἰκίας, ἠτάωντα φησὶ δεξιὴν εἰς τὸ στήθεον τὴν ἀριστερὰν χεῖρα ὡς πῶρ αἰ γὰρ ὑπάρδεις. Sed de Caryatidibus & illud non prætermittendum, Lutatium apud Statium scribere à nuce dictas, quod ibi Virginum chorus, metu ruinæ conscendisset nucis arborem, cum Athenæus, Pausanias, & cæteri à Carya Laconicæ dictas velint. PAVSANIA ELEOMBRONTI FILIO DVCE. Thucydides Cleombroti dicit filium, Suidas matrem addit Anchithea, Quidam codices hic pro Cleombroti habent Agæsiplidos nescio quo auctore. PORTICVM PER-

SICAM.